

quem communiter sequuntur Theologi, ut testatur Cajetanus tractatu 9. De Simonia, ubi & oppositam opinionem appellat, errorem Canonistarum.

XII. Hinc indubitata & evidenti sequela conficitur, nulla dispensatione posse purgari à Simonia beneficiorum venalitatem seu nundinationem: neque per dispensationem etiam Pontificiam, ejusmodi vitium purgari posse. Sed nec in ullis Ecclesiasticis monumentis legitur, umquam de hujusmodi dispensatione actum fuisse.

XIII. Quoad dispensationem verò super penis à Canonibus inductis, non idem dici potest.

Quamvis nec in iis facile à Canonum statutis, præsertim quoad depositionem Simoniacorum, sit recedendum. Nilominus, quia poenæ illæ non à jure naturali aut divino; sed jure dumtaxat positivo determinatæ sunt, dubium non est, quin in aliquibus circumstantiis possit per quamdam dispensationem moderatio vel remissio aliqua earum poenarum indulgeri.

XIV. An tamen primis undecim seculis, exemplum dispensationis reperiri possit, quo ostendatur, indultum fuisse ut quis Simoniacè Ecclesiam ingressus, permitteretur in ea ulterius ministrare; sive in suo ministerio quod per Simoniam obtinuit, perseverare nescio.

XV. In Synodo Romana anno 1059. legitur editum Decretum contra Simoniacos, in quo hæc habentur: "Dominus Papa Nicolaus Synodo in Basilica Constantiniana præsidens, dixit: Erga simoniacos nullam misericordiam in dignitate servanda habendam esse decernimus, sed juxta Canonum sanctiones, & decreta sanctorum Patrum, eos omninò damnamus, ac deponendos esse Apostolica auctoritate sancimus."

XVI. Quin & eos qui non per pecuniam, sed gratis à Simoniacis ordinati essent, Canonum rigore attento deponendos dicit: "sed quia usque adeò hæc venenata perniciosa hæc inolevit, ut vix quælibet Ecclesia valeat reperiri, quæ hoc morbo non sit aliqua ex parte corrupta, eos qui usque modo gratis à simoniacis consecrati, non tam censura justitiæ quàm intuitu misericordiae, in acceptis ordinibus manere permittimus; nisi forte alia culpa ex vita eorum contra Canones eis existat. Tanta quippe talium multitudo est, dum rigorem Canonici vigoris super eos servare non possumus, necesse sit ut dispensatione ad piæ condescensionis studium animos nostros ad præsens inclinemus."

XVII. Sed ne vel tantilla Canonum relaxatio pro lege assumeretur, hanc notandam subiungit cautela: "Ita tamen auctoritate Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli omnimodis interdicens, ne aliquando aliquis successorum nostrorum ex hac nostra permissione Regulam sibi vel alicui assumat, vel præfigat: quia hoc non auctoritas antiquorum Patrum jubendo aut concedendo promulgavit, sed temporis nimia necessitas permittendum à nobis extorsit."

XVIII. Hæc evincunt, avitam illam in relaxandis Canonibus, præsertim in Simoniacos, Patrum moderatorem, seu potius justam morositatem.

Insuper satis ostendunt, nullam tum adhuc dispensationem cum Simoniacis factam, ut in functionibus ad quas Simoniacè ascenderant, permanerent.

XIX. Sub finem tamen ejusdem seculi aliquod exemplum hujus dispensationis seu relaxationis apparet in Synodo Romana anno 1099. sub Urbano II. contra Simoniacos convocata, in qua ante omnia præfatur: "In primis ea quæ à Sanctis Patribus Simoniacis statuta sunt, nos quoque, inquit, Spiritus Sancti iudicio & Apostolicæ auctoritate firmamus."

Addit dein: "Quidquid igitur vel in sanctis Ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus, vel datâ, vel promissâ pecuniâ acquiritum est, nos irritum esse,

& nullas umquam vires obtinere censemus."

XX. Post hæc factâ Dispensatione aliquâ cum ordinatis non simoniacè à Simoniacis, etiam aliquam moderatorem cum iis qui simoniacè ordinati erant subiungit: "Quicumque sanè cupiditate parentum, etiam adhuc essent parvuli, Ecclesias vel Ecclesiarum beneficia per pecunias adepti sunt: postquam omninò eas dimiserunt, si canonicè in iis vivere voluerint, pro magna misericordia ibidem eos esse concedimus."

XXI. Illi verò qui per seipsos, cum jam majoris essent ætatis, nefanda cupiditate ducti eas emerunt, si in aliis Ecclesiis canonicè vivere voluerint, servatis propriis ordinibus pro magna misericordia ibi eos ministrare permittimus. Quod si aliàs fortallè transferri non potuerint, & in eisdem canonicè vivere promiserint, minoribus Ordinibus contenti ad sacros Ordines non accedant."

XXII. Quanta cum moderatorem hæc dispensatio facta sit, nemo non intelligit, qui eam attentius expendat; ac unâ notaverit, quod canonicè sive Regulariter vivere, secundum temporis illius disciplinam & praxim idem esset, quod vivere in communi in Claustro: ita ut qui eâ dispensatione uti vellent, deberent vitam ducere claustralem; ita ut quodammodo causâ poenitentiae ad Monasteria retruderentur.

XXIII. Verùm ne vel tantilla Canonum relaxatio, tot conditionibus moderata, & quodammodo exorta, in legem assumeretur, subiungendum credit Pontifex: "Quamvis autem misericordia intuitu, magna que necessitate cogente, hanc in sacris Ordinibus dispensationem constituerimus: nullum tamen præjudicium sacris Canonibus fieri volumus: sed obneant proprium robur, & cessante necessitate illud quoque cesset quod factum est pro necessitate."

Denique concludit hæc à S. Augustino simili casu prolata sententiâ: "Ubi enim multorum strages jacet, subtrahendum est aliquid severitati, ut addatur amplius caritati."

XXIV. Cæterum hæc est misera rerum humanarum conditio, & corruptæ naturæ miseria, ut facile ubi semel vel rima relaxationi facta, sensim porta aperitur; & quæ primùm multis restrictionibus & conditionibus tolerata, vel pro temporum necessitate extorta fuit; tandem neglectis omnibus hisce restrictionibus & conditionibus quasi pro lege invalescat.

Quod in hac specie relaxationis contigisse, nemo diffitebitur, si jam relatam dispensationem cum dispensationum usu quem posteriora secula experta sunt, conferamus.

XXV. De hoc usu sive abusu testes sunt Delecti illi Prælati sub Paulo III. qui referentes abusus in Synodo Tridentina reformandos, de hoc usu ita loquuntur: "Abusus alius in absolutione Simoniaci: prohi dolor! quantum in Ecclesia Dei regnat hoc pestilens vitium? adeò ut quidam non vereantur Simoniam committere: deinde confestim petunt absolutionem à poena, in mò eam emunt, sicque retinent beneficium quod emerunt. Non dicimus Sanctitatem tuam non posse poenam illam, quæ de jure positivo constituta est, eis condonare, quod sed nullo pacto debeat, ut tanto sceleris resistatur, quo nullum perniciosius, nec magis scandalosum."

XXVI. Profectò, quàm gravis, urgensque ratio subesse debeat, ut quis Ecclesiam seu beneficium retineat seu potius de novo obtineat, in quod per Simoniam, præsertim ipso sciente vel cooperante commissam, intravit, non difficulter intelligit, qui novit, nullum ad Sacrum Ecclesiæ Ministerium, nisi à Deo vocatus sit, esse admittendum. Quis verò non videat, summa multaque vocationis indicia requiri in illo, qui jam Deo non vocante in Sacrum Ecclesiæ Ministerium se intrudere non erubuit; qui juxta Sacros Canones Spiritum

Dei

Dei conditos, & totius Ecclesiæ reverentia roboratos à Sacris functionibus in perpetuum debet esse alienus: quis quæso, non manifesta & extraordinaria vocationis signa requirit, ut contra divinitus statutas Regulas ad Christi Ministerium admittatur.

Ad hæc, cum nullus vel ambitiosus vel avarus, imò de vitis illis suspectus, Sacerdotio sit aptus, tantus indubie præviè ad dispensationem meritorum fulgor, & odor bonæ vitæ exigendus, ut is omnem, quam ex Simoniaco ad Beneficium introitu contraxit, ambitionis aut avaritiæ notam abstergat.

XXVII. Ulterius attendendum, quod si is qui ipsemet per Simoniam ad beneficium sibi viam pandit, dispensationem suo proprio motu petat, vel hac sua postulatione se revera indignum aut saltem de indignitate multum reddat suspectum.

Quis enim illum corde contrito & humiliato de sua pravitate dolere & poenitere credat, qui audeat Sacerdotium quod per superbiam vel avaritiam ambivit, & sacrilegè usurpavit, rursum postulare. Certè non illud humilitatis, sed potius magnæ superbiæ & præsumptionis frequenter signum esse potest.

XXVIII. Meritò ergò prædicti Prælati dixerunt, quod licet non negarent, Pontificem posse poenam illam, quæ de jure positivo constituta est, Simoniaci condonare, eam tamen nullo pacto debeat, ut tanto sceleris resistatur, quo nullum perniciosius, nec magis scandalosum.

XXIX. Sed quid si ipse Provivus nullam Simoniam commiserit, sed ipso planè ignorante, nulloque modo cooperante, à parentibus vel amicis realiter intervenit Simonia, & provivus in favorem Provivi simoniacè obtenta sit? Indubie juxta rigorem Canonum talis provivus est nulla, ut ipse Provivus beneficio obtento renuntiare debeat: at tamen quoniam simili casu nonnumquam dispensationis ratio subesse queat, ambigi posse non videtur.

Quid enim si is recta intentione, etiam Superioribus, nullatenus de Simonia parentum aut amicorum conscis, insignitibus & moventibus intraverit, & cum fructu & ædificatione eidem beneficio deserviat; ita ut vel ex ipso fructu non obscura appareant Divinæ vocationis indicia? quidni cum hujusmodi dispensari poterit, ut in beneficio remaneat? præsertim si prævideatur, quod ipso Beneficium deferente alius idoneus aut minus idoneus intrabit: maxime si & ipsa Simonia sit occulta, ut ex hoc capite scandalum non sit timendum; vel ea sint Provivi nota merita, ut omnem mali speciem sufficienter abstergant.

XXX. Pro hodierna Praxi dispensationis notandum imprimis, quod hæc dispensatio peti soleat vel in Dataria Romana, vel in Poenitentaria.

In Dataria petenda est, si Simonia sit notoria, aut saltem in foro externo posset probari; ipseque provivus non tantum pro foro interno, sed etiam pro externo dispensationem suam valere desideret.

In Poenitentaria autem petitur, si sit omninò occulta; tantumque pro foro conscientie dispensationem obtinere desideret.

XXXI. Imprimis autem observat Pyrrus Corradus in Praxi dispensat. lib. 5. c. 9. n. 14. quod quoties super Simonia dispensatio petitur in Dataria, debent exprimi fructus percepti ex beneficio Simoniacè obtento; cum illi (ait) debeantur Camera Apostolicæ; ac propterea consignari D. Datario, vel Datarie Præfecto, licet hodie pro dictis fructibus fiat transactio, & ex illis remittatur Oratori tertia, vel major pars prout ipsi D. Datario videbitur.

Unde hæc materia est ex iis, quæ subjacent, Componenda; ideoque supplicia transire debet per manus Officialis, qui vocatur Componenda, de quo actum supra parte 1. tit. 23. c. 2. n. 18.

XXXII. Dicit autem Perardus Gastellus in Praxi Curie Romanæ pag. 28. quia fructus malè percepti frequenter

sunt incertæ restitutionis, aliis asserentibus eos spectare ad successores, alios verò ad pauperes, tandem decisionem factam fuisse in favorem Camera Apostolicæ: quod administratio generalis bonorum Ecclesiasticorum censetur spectare ad Papam, dum non scitur alicui particulari competere.

XXXIII. Monet autem ibidem in notis Guillelmus Noyer ex Petro Pithæo in commentario ad libertates Ecclesiæ Gallicanæ c. 5. 1. quod hujusmodi compositiones fructuum malè perceptorum non admittantur in Gallia. Verba Pithæi sunt: Le Pape ne peut composer avec ceux qui auroient esté vrais intrus en benefices de ce Royaume, sur les fruits mal prins par eux, ni les leur remettre pour le tout ou en partie au profit de sa chambre, ni au préjudice des Eglises ou personnes, au profit desquelles tels fruits doivent estre convertis. Id est: Non est Pontificis ut cum iis qui verè in beneficia hujus Regni intrusi sunt, negotium componat quoad fructus malè ab iis perceptos, nec ut in præjudicium Ecclesiarum aut personarum quarum emolumento fructus hoc modo acquisiti cedere debent, illos à restitutione totali aut partiali in utilitatem Camerae suæ absolvat.

XXXIV. Unde & in verificatione Litterarum Legatorum Sedis Apostolicæ inseri solet clausula, quod non componet super fructibus malè perceptis; neque in totum vel pro parte remittet; uti videre est in probationibus Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ c. 23. n. 49. § 1. & § 2. ubi hæc restrictio his verbis exprimitur: Aussi ne pourra (l'edit Legat) faire aucune composition avec ceux qui auroient esté vrais intrus en Benefices sur les fruits mal par eux pris & perçus, ne leur remettre en tout ou en partie, attendu qu'ils doivent estre convertis en l'utile des Eglises. Id est: Deinde non erit (dicit legatus) ut cum iis qui verè in beneficia intrusi sunt, negotium quoquo modo componat, quoad fructus ab iis malè acquisitos & perceptos: nec ut eos à restitutione totali aut partiali absolvat, quandoquidem in Ecclesiæ utilitatem convertos oporteat.

XXXV. In formula dispensationis super Simonia omninò occulta pro solo foro conscientie per Poenitentiarium quoad fructuum restitutionem injungitur, ut non antè cum Simoniaco dispenset, nisi postquam fructus ex illo beneficio indebitè perceptos in totum restituerit; vel si ob ejus paupertatem in præsentiarum non potest, se restitutum promiserit, cum primùm poterit, etiam cum aliquali sui incommodo, & indigentia. Ita Pyrrus Corradus in citata praxi lib. 5. c. 1. ubi tamen unâ notat, aliquando Confessario dari facultatem, ut ob paupertatem Oratoris ipsi perceptos fructus, vel in totum, vel pro parte remittat, quod in formulis dispensationis exprimi solet.

XXXVI. Illud commune est utriusque dispensationi, sive pro solo foro conscientie, sive pro utroque foro, quod utraq; detur in forma commissoria: id est, quod nec ipse Papa nec Poenitentarius Papa dispenset; sed ipsa dispensandi auctoritas committatur vel Ordinario ejus Diocesis in qua beneficium Simoniacè obtentum est situm, vel pro solo foro conscientie alicui Confessario, eo modo quo dispensatio matrimonialis, de qua supra tit. 14. c. 2.

XXXVII. Utraque autem dispensationis formula requirit, ut priusquam ad dispensationem procedatur, ipse Provivus prius ipsum beneficium dimittere teneatur; atque novam provisionem ab Ordinario pro utroque foro, vel à Confessario pro foro conscientie obtinere debeat; etiam si Simonia planè ignorante provivus intervenit; idque, ut ostendatur, quod revera prima provisio ob commissam Simoniam fuerit irrita; requiraturque nova provisio auctoritate Papæ faciendâ, ut provivus in beneficio remanere queat.

XXXVIII. In Extravagante 2. De Simonia inter communes, omnibus & singulis Ecclesiasticis secularibusque personis cujuscumque dignitatis, status, gradus, Ordinis

vel conditionis fuerint, in virtute sanctae obedientiae, injungitur, ut eos omnes, quos Simoniam hujusmodi commisit vel procurasse, aut in ea mediatores esse sciverint, Pontifici praedicto, vel cui idem Pontifex duxerit committendum, vel per alios revelare quantocius non omitterent.

Notat autem Marcus Paulus Leo in Praxi Penitentiariae Romanae parte 3. c. 30. hanc obligationem hodie non esse in usu, sed in locum illius revelationis successive hodiernam clausulam litteris Penitentiariae inseri solitam qua injungitur Confessario, quod injungat Proviso, ut alios si qui sunt, in praemissis culpabiles quantum potest moneat, & inducat ad impetrandam a Sede Apostolica absolutionem.

XXXVIII. Ordinatio in supplica pro retentione beneficii simoniace obtenti pro causa dispensationis allegatur, quod beneficium sine scandalo dimitti nequeat. Recte autem observat Pyrrus Corradus loco citato n. 7. quod scandalum non praestet iustam causam dispensandi in omni casu prohibito.

XXXIX. Et revera in hac materia, ordinatio verum scandalum fidelium non tam ex dimissione beneficii,

quam ejus retentione timendum est; praecipue si nota sit Simonia.

Imo si ipsum beneficium res ipsa dimittatur, sciaturque etiam ob Simoniam forsitan a parentibus commissam; Provisum beneficium cedere debuisse, natum est contingere, ut vel hoc exemplo plures a Simonia committenda retraherentur; multisque alia imprimeretur de Simonia vitio idea, quae hodie plerisque est impressa: qui fere Simoniam ut *scrupulum non intelligentium*, reputant: eo quod videant, passim per temporalia in beneficia intrari, & nullum tamen ut Simoniacum tractari, & a beneficio removeri.

XL. Monet ibidem Pyrrus Corradus: "Ut quoad fuerit possit, quavis, quantumvis minima Simoniae labe extrahatur Ecclesiam, a Romana Curia eliminetur, & arceatur, licet ad sint urgentissimae causae non ita passim illa admittuntur neque; in hujusmodi dispensationibus pro utroque; foro per Dataiam Summi Pontificis, neque per illius Penitentiariam; ubi a me, tot annis illius Praetorio inserviente, satis id compertum est; sibi enim nec favores praevaleant, nec Orationum continua inquantia prodest.

TITULUS XXXI.

De Acceptione personarum vitanda in Beneficiorum provisione.

CAPUT I.

Quid acceptio personarum; & quando haec in collatione Beneficiorum committatur.

- 1. Quid acceptio personarum?
2. Injustitia distributiva debet attendi proportio secundum merita personarum.
3. Quando in distributione munerum aut officiorum committatur acceptio personarum?
4. In acceptione personarum attenduntur conditiones non facientes ad causam.
5. Quae conditiones non faciant ad causam.
6. Eadem conditio potest facere vel non facere ad causam pro diversitate materiae.
7. In provisione Beneficiorum committitur acceptio personarum, si attendatur conditio non spectans ad causam.
8. Causa distributionis beneficiorum esse debet, de meliori ministro Ecclesia providere.
9. Haec unice in hac distributione attendi debet.
10. Conditio non spectans ad hanc causam, tametsi de se bona nequaquam attendenda.
11. An attendenda indigentia persona?
12. Quid de mandatis in forma pauperum senserit Bartholomaeus De Martyribus?
13. An attendenda paupertas parentum?
14. Quod aliquis sit consanguineus collatoris ad causam facere non solet.
15. Consanguineus omnino excludendus; quin interdum extraneo preferendus.
16. Conferenda merita consanguinei cum meritis extranei.
17. In hac collatione alieno potius quam proprio iudicio fidere debent Collatores.
18. Consanguinitas attendenda cum respectu ad bonum

Ecclesiae.

- 19. In praelatione consanguineorum specialiter cavendum scandalum.
20. Ob scandalum subinde consanguineus dignior postponendus extraneo minus digno.
21. Ob merita Providendi aliquando scandalum non cavendum.
22. Ex persona collatoris potest fieri ut scandalum sit acceptum non datum.
23. Quare hodie specialiter cavenda consanguineorum promotio?



Personarum acceptio solet definiti, Injustitia, qua praefertur persona personae propter causam indebitam.

Haec autem injustitia opponitur justitiae, quae a Theologis & Juris Consultis vocatur justitia distributiva; secundum quam bona, aut res sunt distribuenda servata proportione meritorum.

II. Unde S. Thomas 2. 2. q. 63. art. 1. in C. probans quod acceptio personarum opponatur justitiae distributivae ait: "Consistit enim aequalitas distributivae justitiae in hoc, quod diversis personis diversa tribuantur secundum proportionem ad dignitates personarum."

III. Hinc ulterius infert: "Si ergo aliquis consideret illam proprietatem personae, propter quam id quod ei confertur, est ei debitum, non est acceptio personae, sed causa... puta si aliquis promovet aliquem ad Magistratum propter sufficientiam scientiae; hic attenditur causa debita, non persona. Si autem aliquis consideret in eo cui aliquid confertur, non id propter quod id quod ei datur, est ei proportio datum, vel debitum; sed solum hoc quod est iste homo [puta Petrus vel Martinus] hic est acceptio personae: quia non attribuitur ei aliquid, quod propter aliquam causam quae faciat eum dignum, sed simpliciter attribuitur personae."

IV. Itaque dicendum: "In justitia distributiva [rursus verbis S. Thomae loquor] considerantur conditiones personarum,

personarum, quae faciunt ad dignitatis vel debiti causam. Sed in acceptione personarum considerantur conditiones, quae non faciunt ad causam.

V. Quae autem conditiones referantur ad personam, explicat ipse Doctor Angelicus dicens: "Ad personam autem referuntur quaecumque; conditio non faciens ad causam, propter quam sit dignus hoc dono. Puta si aliquis promoveat aliquem ad Praelationem vel Magistratum, quia est dives vel consanguineus suus: est acceptio personarum."

VI. Contingit tamen (pergit S. Thomas) aliquam conditionem personae facere eam dignam respectu unius rei, & non respectu alterius: sicut consanguinitas facit aliquem dignum ad hoc, quod instituat heres patrimonii, non autem ad hoc quod conferatur ei praelatio Ecclesiastica. Et ideo eadem conditio personae, in uno negotio considerata facit acceptiorem personam, in alio autem non facit.

VII. Ex his haud difficulter intelligi poterit, in provisione Beneficiorum toties fieri acceptiorem personarum, & violari justitiam distributivam, quoties in hac provisione attenditur conditio non faciens ad causam propter quam sit dignus hoc dono, sive hoc Beneficio.

Quare S. Thomas art. 2. quaerens, utrum in dispensatione spiritualium locum habeat personarum acceptio, expressè monet in responsione ad 3. quod si in electione ad dignitatem Ecclesiasticam, non pertineat ad negotium id, quod consideratur ut causa, erit manifeste acceptio personae.

Itaque ut in provisione Beneficiorum servetur justitia distributiva, & evitetur vitium ei oppositum, personarum acceptio; & solae conditiones sunt attendendae, quae faciunt ad causam.

VIII. Cum igitur causa distributionis sive provisionis Beneficiorum sit dare Ecclesiae idoneos Ministros, qui convenient officio propter quod Beneficium datur, consequens est, quod justitia distributiva requiratur, ut servetur aequalitas proportionis ad qualitates personarum ad hanc causam pertinentes; atque ita in hac distributione solus respectus habeatur ad conditiones illas, quae faciunt ut melius Ecclesiae de ministro provideatur.

IX. Hinc collige primo, quod in distributione Beneficiorum justitia distributiva exigit, ut bonum Ecclesiae unice praec oculis habeatur; id est, ut Beneficiorum dispensatores aequalitatem servent proportionis, habito respectu ad qualitates, quae ad bonum Ecclesiae faciunt.

X. Collige secundò, in Beneficiorum distributione non esse attendendam qualitatem personae etiam bonam, si illa ad causam, id est, ut provideatur Ecclesiae de meliori Ministro, non pertineat. Contingit enim aliquam conditionem personae facere eam dignam respectu unius rei, inquit S. Thomas, & non respectu alterius.

XI. Hinc collige tertio, quod licet justitia distributiva saepe requiratur, ut paupertas personae in distributione communium elemosynarum attendatur; nullatenus tamen in Beneficiorum, praesertim cum cura animarum, collatione attendenda veniat: quia priori casu qualitas paupertatis facit ad causam, non vero posteriori. Causa quippe distributionis communium elemosynarum, est succurrere indigentiae personarum, contra causam distributionis Beneficiorum non est succurrere paupertati seu indigentiae eorum, qui ad Beneficia promoventur, sed Ecclesiae digniores Ministros praeficere; seu Ecclesiae, non personis providere; quare cum paupertas non sit conditio ad hanc causam pertinens, si in distributione Beneficiorum illa attendatur ad justitiam distributivam receditur.

XII. Haec optime intelligens nominatissimus ille Bracarenensis Archiepiscopus Bartholomaeus De Martyribus non dubitavit coram Patribus Tridentinis acrius reprehendere mandata providendi in FORMA PAUPERUM dicens: "In proventibus Ecclesiasticis distribuendis spectandam esse doctrinam & virtutem, non paupertatem; cum oporteat consulere muneribus; non hominibus; egentibus subveniendum esse per elemosynas non per Sacerdotia."

Hac Palavicinus in historia Concilii Tridentini lib. 23. cap. 7. num. 7. & supra titulo 23. c. 2. n. 3. latius retulimus.

XIII. Itaque erroneam de Beneficiis Ecclesiasticis ideam habent, qui in horum distributione ad causam pertinentem autumant, quod quis pauperes habeat parentes, quibus posset ex proventibus Beneficii succurrere. Cum enim, ut dictum est, Beneficia Ecclesiastica non sint ordinata ad succurrendum paupertati & indigentiae corporali, sed ut habeantur idonei Ministri Ecclesiae evidens est, parentum indigentiam ad hanc causam non spectare. Imò e contra ob parentum egestatem non ratio fit, ut ea de causa minus idoneus Beneficio Ecclesiastico, praesertim curato, censeretur; notum quippe est, quam frequenter parentum indigentia impedimento sit, ut non ea qua oportet libertate, zelo & vigore, Ecclesiastici functiones suas obciant.

XIV. Ex dictis quoque non difficulter intelligi potest, consanguinitatem in Beneficiorum provisione per se non esse conditionem seu qualitatem quae attendi possit; utpote quae ad causam spectare non solet. Nam ut monet S. Thomas, "consanguinitas facit aliquem dignum ad hoc, ut instituat heres patrimonii, non autem ad hoc, ut conferatur ei Praelatio Ecclesiastica."

Unde ex sententia ejusdem Doctoris, si aliquis promoveat aliquem ad Praelationem, quia consanguineus suus, est acceptio personarum: XV. Porro, licet consanguinitas per se, non sit conditio pertinet ad causam, non tamen absolute impedit, quò minus ipsi conferatur, modò non ipsius consanguinitatis, sed meritorum ratio habeatur. Imò si consanguinei Praelati Ecclesiastici sint aequè digni ut alii, licet potest absque personarum acceptione consanguineos suos praeferre, ait S. Thomas citata qu. 63. art. 2. ad 1. Rationem adjungit: "Quia saltem in hoc praeminent, quòd de ipsis magis confidere potest, ut unanimiter sententiam negotia Ecclesiae tractent."

XVI. Duo itaque exigit S. Doctor, ut Praelatus consanguineo suo beneficium sine acceptione personarum conferre queat. Primo, ut consanguinei sint aequè digni ut alii. Requiritur ergò ut Praelatus sive Collator beneficii conditiones seu merita & qualitates extraneorum conferat cum qualitatibus consanguinei sui: ritèque expendat, num hujus qualitates ad officium obeundum, propter quod beneficium datur, eum aequè dignum reddant, quam extraneum.

XVII. Hic autem primò attendendum Collatoribus quòd proprium iudicium de meritis ac qualitatibus consanguinei sui semper debeant habere suspectum. Cum enim consistat aequalitas distributivae justitiae, ut ait S. Thomas, in hoc, quòd diversis personis diversa tribuantur secundum proportionem ad dignitates personarum, necessarium est, Collatores conferre inter se qualitates consanguinei & qualitates extranei, ut illis inter se collatis, juxta justitiam distributivam beneficium conferant secundum proportionem ad qualitates personarum. Quis verò negare aut ambigere audeat, quin natum sit contingere, ut affectu naturali egeat sibi propinquos praevire, & non nihil exaequati, abripiantur, ut suorum indultiam ad dotes magnificè, extraneorum verò tenuiter aestiment, Quapropter sic, teste Doctore Mellisso, Plerisque; imò cunctis penè contingere sapientibus solet, in rebus videlicet dubis plus alieno se quam proprio credere iudicio, indubit sapientes atque justi beneficiorum Collatores aut Patrones in adjudicandis meritis consanguinei, plus alieno, quam proprio